



**R. P. Christophori Gillii, Ex Brigantio Lvsitaniæ, Societatis
Iesv, Et in Conimbricensi Academia S. Theologiae
Professoris; Commentationvm Theologicarvm De Sacra
Doctrina, Et Essentia atque vnitate ...**

Gil, Christovão

Coloniae Agrippinae, 1610

Non inepte concedi potest in diuinis compositio relationis. cap. 14.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82291](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82291)

subiecti denominati accedit, ac recedit, nihil imperfectionis inuoluit, nihil enim accrescit, vel decrescit obiecto ex eo, quod possit aliter, atque aliter apprehendi ab intellectu, similiter obiectum ipsum dici non debet perfectius, aut imperfectius, completum, vel incompletum, sed magis, vel minus perfectè, adæquatè, vel inadæquatè conceptum, vnde tota hæc diuersitas formaliter est in ipsis rationibus mentalibus, extrinsecè vero, ac denominatiuè in obiecto: quemadmodum multiplicitas actualiter est in conceptibus ipsis, extrinsecè, ac denominatiuè in obiecto. Ex hoc autem non sequitur vlla potentialitas in ipso obiecto, namque ad rationem potentialitatis necessario exigitur carentia actus, & indifferencia ad ipsum, & eius priuationem: quæ duo non necessario interueniunt, quotiescunque est multiplicitas solum secundum rationes formales ab intellectu conceptas, & negatio præcisionis secundum ipsas cum aptitudine coniunctionis intellectualis: namque in diuinis, vt patet ex superioribus, est multiplicitas rationum formalium cum negatione præcisionis, & aptitudo vt concipiantur per modum plurium adunatorum, siue etiam vnius ex pluribus constituti: nec tamen est vlla potentialitas etiam virtualis: quia in nulla prorsus ratione obiectiua est indifferencia ad alias, & priuationem ipsarum, sed omnium necessaria, & determinata coniunctio.

Non ineptè concedi potest in diuinis compositio rationis.

CAPVT XIV.

I.

EX superiore capite constat compositionem rationis secundum se non esse impossibilem, atque adeò reperiri in creaturis: restat vt videamus an conuenire Deo possit. Negat Aureolus quodlibet. 5. art. 2. & in 1. d. 1. quæst. 1. art. 2. & d. 8. quæst. 4. art. 1. Mayron. quæst. 7. art. 1. 3. p. articuli ad primam difficultatem. Soncin. 12. Metaph. quæst. 29. ad tertium, consentit Capreol. in 1. d. 2. q. 3. in solutionibus argumentorum Aureoli, siquidem reprobatur secundam solutionem Aureoli ad 4. argumentum, qua dicebatur esse absurdum admittere in personis diuinis compositionem rationis, & conceptuum fabricatorum per intellectum, & recipit tertiam, qua dicitur etsi in persona filij, sint plura secundum rationem, vel plures conceptus, non

tamen tacere compositionem, quia non habent vnionem: & ita à plerisque pro hac ipsa sententia adducitur, & immerito ab alijs in contrariam detorqueatur, dicentibus Capreolum solum negare compositionem, quæ sit intrinseca Deo, in conceptu autem nostro, sicut admittit multitudinem, ita admittere compositionem, quam Deo inquit esse extrinsecam, sicut etiam Spiritus diuinus dicitur multiplex, & multiformis. Verum Capreol. admittit quidem in Deo multiplicatè rationis extrinsecam, quia multis conceptibus nostri intellectus responderet, compositionem vero etiam secundum hunc modum nunquam admittit: imò vero in responsione ad impugnationem tertie responsionis quarti argumenti expressè illam negat: nam, cum retulisset verba D. Thomæ concedentis in diuinis multiplicatè rationis propter diuersitatem conceptuum, quibus intellectus eandem rem multipliciter apprehendit, subdit hæc verba. *Ex quibus patet quod Deus dici potest multiplex, non tamen compositus secundum rationem.* Eodem modo, quo multiplicem concedit, negat compositum: concedit autem multiplicem secundum rationem, atque extrinsecè: eodem ergo modo compositum negat. Itaque clarius apparet ex ratione, quam subiicit. *Quia illæ rationes non componuntur ad inuicem in Deo, nec in intellectu, cum non habeant vnionem in intellectu ad inuicem, nec in Deo sint subiectiue,* quibus verbis excludit compositionem rationis intrinsecam, atque extrinsecam: intrinsecam, quoniam rationes illæ non sunt in ipso Deo subiectiue & compositæ ad inuicem: sunt enim in intellectu, vt ibidem de sententia D. Thomæ explicauerat: extrinsecam vero, quoniam rationes eadem in intellectu, in quo sunt subiectiue, non habent vnionem, quæ omnino requiritur ad rationem compositionis. Ex quo patet ita Capreolum concedere Deo multiplicatè rationis extrinsecam, vt eodem genere neget compositionem rationis.

In primis autem fauere huic opinioni videtur Anselmus lib. de incarnatione Verbi cap. 3. versus finem, vbi ait simplicia præstare compositis quantum ad simplicitatem & compositionem: & compositum omne necessariò dissolui posse actu, vel intellectu: ex quo deinde inferit quod si Deus compositus est, aut nulla natura simplex est, aut aliqua natura est, quæ natura Dei præstant or est: quod enim nec actu, nec intellectu potest dissolui, maius est quam id, quod actu, vel intellectu dissolui potest. Similiter docet in Prosologio cap. 18.

Quid-

Aureol.

Mayronius.
Soncinus.

Capreol.

II.

Anselm.

*Quidquid, inquit, est partibus iunctum, non esse omnino unum, sed quodammodo plura, & diuersum à se ipso, & vel actu, vel ab intellectu dissolui potest, quæ aliena sunt à te, quoniam nihil melius cogitari potest. Ex quo perspicuum redditur Dei naturam, neque actu, neque intellectu dissolui posse: atque adeo non solum expertem esse compositionis realis, quæ sit id, quod actu dissolui potest: sed etiam rationis, quæ constituitur id, quod per intellectum dissoluitur; fauet etiam Aristoteles lib. 5. Met. text. 11. ubi de vno disputans sic habet: *Et omnino quorumcumque intellectio, quæ quod quid erat esse intelligit, indiuisibilis est, neque separari potest, nec tempore, nec loco, nec ratione, hæc maxime vnum sunt.* Quapropter, cum Deus sit maxime vnus, intellectio attingens eius essentiam non poterit ratione separari, atque adeo nec ratione componi: nam compositio supponit saltem distinctionem rationis inter componentia. Idem probat Aureol. ubi proxime, quoniam Theologi negare non debent Deo perfectionem, quam tribuunt Philosophi: at Philosophi scilicet Aristoteles, Auerr. & Auicen. tribuunt Deo perfectissimam simplicitatem absque vlla compositione etiam rationis: id vero ostendit ex 12. Metaphys. text. 39. ubi Auerr. ait non posse admitti intentionem additā primo principio, quia tali additioni dubitatur accidere compositio: esse autem compositum est esse nouum. At vero Comment. 49. omnes substantias separatas ait esse simplices, maxime vero primam: quæ est simplex sine vlla multiplicitate, nec propter alietatem intellectus, & intellecti, nec propter multitudinem intellectuum: ex quibus deducitur multiplicitem rationis prouenientem ex pluribus conceptibus non inducere compositionem: & ideo de sententia Auerrois non cadere in naturam diuinam compositionem rationis. Auicen. vero lib. 8. Metaphys. cap. ultimo asserit proprietates primi principij non facere in ipsa multitudinem aliquo modo. Ratione vero sic ostenditur, non est neganda Deo perfectio, quæ reperitur in creatura, in creaturis autem sunt quædam adeo simplices, vt neque compositionem rationis admittant, & ideo sunt omnino irretolubiles, quæ statim sunt vnum, & ens: quomodo ait idem Auerroes lib. 8. Metaphys. Comment. 16. rationes altissimorum generum esse simplices: ergo ne demus excedi quoad aliquid perfectionem diuinam à creatura, cōcedere debemus compositionem rationis in Deum minimè cadere. Secundò nulla ratio prior concipi potest composita*

etiam secundum rationem à posteriore: at ratio essentia diuinæ, est positivè prior omni prorsus ratione à se quomodolibet distincta: ergo non potest concipi composita secundum rationem: Maior patet quoniam componentia cuiuslibet generis secundum idem genus habent ordinem prioris respectu compositi: ideoque repugnat, vt id, quod est ratione prius cæteris omnibus, admittat compositionem rationis. Assumptio item est manifesta: nam essentia diuina concipitur per modum substantiæ, ac naturæ: hoc autem modo concepta est prior omni ratione attributali, ac notionali, quibus continentur omnia, quæ de Deo prædicantur. Tertiò ratio Deitatis est actualissima, ac simplicissima: neutrum vero haberet, si esset composita ex pluribus rationibus: non summam actualitatem, quoniam esset constituta ex ratione actuali, ac potentiali, & determinabili, ac determinante, non summam simplicitatem, quoniam simplicius est id, quod ipsum per summam identitatem, ac simplicitatem, est omnis ratio, quæ sibi competit, quam quod habet multiplicem rationem tanquā partem suæ integræ, adæquatæque rationis: ergo nullo modo concedendum est vllam compositionem rationis conuenire Deo. Quartò quemadmodum essentia diuina, & personæ sunt perfectæ secundum rem, ita etiam secundum rationem: ideoque sicut in ijs non admitti debet aliquid imperfectum secundum rem, ita neque secundum rationem, sed compositio rationis est imperfectio secundum rationem: ergo remouenda est à Deo. Probatur assumptio, quoniam ubi est compositio conceptuum, ibi alter conceptuum est perfectibilis per alterum tanquam per sui perfectionem, vt conceptus animalis perficitur per rationale, & absolute quotiescunque datur compositio, alterum componentium habet rationem actus, alterum potentia: & ita inter plures rationes concurrentes ad compositionem vnus, altera erit instar potentia perficiendæ per alteram.

Hæc controuersia ex duobus capitibus habet difficultatem: nimirum ex multiplicitate, & vnitatem: hæc enim duo superius dixi sat esse ad compositionem rationis. Et quidē Aureol. quia existimat pugnare cum diuina simplicitate multiplicitem rationū, negat etiam Deo compositionem rationis: nam multiplicitem admittit cōsequens essentia Deum, sicut esset multiplex secundum rationem, ita etiā compositum fore, vt patet ex 4. argumento, quod ex ipso refert Capreol. ubi supra in hunc modum. Id cuius con-

stituentia

III.

stituentia sunt seorsum conceptibilia, & habentes proprias unitates, necessario est compositum, saltem secundum rationem: ad quod adhibet hanc responsionem: nempe, quamvis ratione differant, non facere compositionem, quoniam sunt omnino idem secundum rem. Contra quam obijcit iterum in hunc modum: similis est habitudo secundum rationem inter aliqua ratione distincta, qualis est inter ea secundum rem quando sunt realiter distincta, sed si essentia, ac paternitas secundum rem essent realiter distincta, non dubium, quin facerent compositionem realem, secundum doctrinam Philosophi lib. 7. Metaphys. asserentis ex substantia, & alijs prædicamentis esse compositionem, etiam ex aliquid, & relatione: ergo ubi essentia, & paternitas distinguuntur sola ratione, facient compositionem rationis. Ex quo discursu perspicuum est propterea Aureolum negare in diuinis compositionem rationis, quoniam negat multipliciter rationum: si hæc vero detur, credere necessario illam admittendam. Contra vero Capreol. admittens cum Diuo Thoma in diuinis rationum pluralitatem adhuc negat esse compositionem propter rationes ferè initio propositas: sed totum eius fundamentum consistit in duobus principijs: alterum est, quoniam omnis compositio supponit potentialitatem aliquam componentium: quæ nullo modo in diuinis admittenda est. Alterum vero, quoniam compositio fit non secundum rationes formales, sed secundum esse actuale, ita ut sit multitudo ipsius esse, sicut cum relatio creata facit compositionem cum subiecto: vel, cum sunt duo habentia idem esse, sed illud habet vnum illorum per alterum, sicut cum forma componit cum materia, vel cum sunt multa habentia idem esse, quod est primo totius, & consequenter partium, sicut cum pars componit cum parte: ubi autem est vnicum esse subsistens nõ distinctum ab eo, quod est per illud esse, sed est ipsummet esse, non potest ibi esse compositio, quoniam omnia sunt actus purus, in diuinis autem quamvis sint plures rationes formales, est tamen vnum esse: quod fundamentum videtur attigisse D. Thom. in 1. d. 33. quæst. 1. art. 1. & d. 8. quæst. 4. art. 1. ad secundum ubi idè docet attributa nullum in Deo compositionem facere, quia sapientia, aut quodvis aliud attributum secundum suam rationem non facit compositionem, secundum suum esse, prout est subiecto realiter differens ab il-

lo, quæ ratio ex æquo militat contra omnem compositionem tam realem, quam rationis.

Dicendum non incongruè dici posse dari in diuinis compositionem rationis. Hanc conclusionem expressè docet Sanctus Thomas in 1. d. 24. quæst. 1. art. 2. ad 4. & d. 25. quæst. vnica art. 1. ad 2. Bonavent. d. 34. art. 1. quæst. 1. Egidius in 1. d. 4. 3. p. quæst. 1. ad primum, & d. 8. 1. p. secundæ partis principalis quæst. 2. ad 2. & quæst. 3. ad 3. & d. 22. quæst. 1. ad 3. & quæst. 2. ad primum. Argent. d. 8. q. 1. art. 1. ad quintum, & art. 3. Ferrar. lib. 1. contra Gentes cap. 58. §. Aduerte. Hæc est sententia Patrum, qui cum dicant simplicitatem opponi compositioni eo ipso quod in Deo cõcedunt multipliciter rationis, etiam fatentur aliquam compositionem rationis. Deum vero esse multiplicem ratione attributorum asserunt Patres citandi tractat. 5. cap. 7. num. 4. & tractat. 6. cap. 6. num. 2. fauent Doctores, qui loquentes de rebus diuinis vsurpant terminos partialiter, partem, totum, non quidè simpliciter, sed cum addito (nostro intelligendi modo): hi enim satis indicant agnoscere se compositionem rationis propter imperfectum modum, quo diuina intelligimus, & ita tota imperfectio compositionis se habet ex parte intellectus, summa autem perfectio ex parte obiecti, quod propter eminentiam suæ entitatis, vñ cum sit, æquipollet pluribus actu distinctis, & idè admittit distinctionem virtuales siue rationis, & cum sit simplex, æquipollet compositis: ideoque admittit denominationem à compositione rationis: nam sicut distinctio actualis est verè imperfectio repugnans Deo, virtualis autem, siue rationis minimè, ita compositio actualis est imperfectio à Deitate aliena, compositio vero rationis nequaquam: quoniam sicut distinctio virtualis non affert diuisionem, neque officit unitati diuinæ, imò eam maximè commendat, ita compositio rationis non excludit simplicitatem diuinam, sed indicat summam eius perfectionem: sicut enim est summa perfectio unitatis sub omnimoda indiuiisione actuali continere per modum vnius perfectiones omnes simpliciter repertas in creaturis, ita est summa perfectio simplicitatis modo maximè simplici, & actualiter in composito continere perfectionem compositorum actualium: facile vero ostèditur ex dictis cap. superiore, quo statutum est ad compositionem rationis fat esse multipliciter rationum cum unitate: At in diuinis extrinsecè salutem, & conceptibiliter dantur hæc duo:

IV.

Aristot.

S. Thom.

ergo

ergo datur compositio rationis Assumptio quoad multiplicatam probanda est tract. 6. Quoad unitatem vero ostenditur contra Capreolum, unitas plurium rationum formalium secundum esse intellectum; cui respondeat idem esse obiectivum à parte rei, non repugnat absolute, & respectu cuiuscunque obiecti: ex parte Dei non datur particularis aliqua repugnantia, dari ergo poterit. Maior propositio constat ex cap. superiore, & patet inductione plurimarum rerum, quæ concipiuntur per modum unius coniuncti ex pluribus rationibus non actu, sed sola ratione distinctis, ut se habet compositum Metaphysicum ex genere, ac differentia, compositio eiusdem rei ex potentia, & actu: nam in ijs, quæ non sunt actus puri, eadem prorsus res ex natura rei indistincta est simul actus, & potentia. Assumptio ostenditur, quoniam simplicitas divina magis repugnat multiplicati, quam unitati: sed ea non obstante datur multiplicitas virtualis rationum diuinarum: ergo dari etiam poterit similis coniunctio earundem in vnam rationem ex illis virtute compositam. Huic argumento respondet Capreolus ad unitatem ex compositione resultantem requiri unionem componentium, has vero rationes non esse capaces unionis: non quidem obiectivè in ipso Deo, quoniam sunt idem omnino, nec habent rationem potentiae, & actus, non in intellectu, quoniam rationes ipsæ mentales sunt actu diuinae, nec in vnum coadunabiles, hæc tamen solutio non satisfacit: Tam enim superiore capite ostendi ad compositionem secundum rationem non requiri rationem potentiae in componentibus, nec unionem rationum mentalium secundum esse reale, quo insunt in subiecto, sed sat esse unionem secundum esse intellectum: quæ est actu in conceptione ipsa mentali, obiectivè autem in re intellecta fundata in eius perfecta unitate coniuncta cum multiplicitate virtuali: hæc vero omnia reperiuntur in Deo: nam propter summam excellentiam est vnum, atque idem obiectum multipliciter intelligibile, ita ut mens nostra postquam plures ipsius perfectiones virtute distinctas diuersis conceptibus intellexit, possit eas omnes inter se comparare, atque connectere tanquam perfectiones intrinsecas unius, eiusdemque essentiae diuinæ, & ex ijs omnibus constare conceptionem quandam compositam nominaliter insit diffinitionis, qua singulæ rationes

obiectivæ attinguntur, ut partialiter distinctæ inter se, & ut coniunctæ in vna adæquata ratione: & ita, quamvis à parte rei non detur vera unio, sed potius unitas, atque identitas rationum formalium virtute distinctarum, hæc tamen satisfest, ut in intellectu distinguente actu eiusmodi rationes per plures conceptiones, & in vnam integram, adæquatamque rationem formalem conceptibiliter adunante sit unio intellectualis earundem rationum formalium habens fundamentum in identitate obiectiva ipsarum in essentia diuina. Itaque non desideratur unio rationis, quæ solum requiritur ad compositionem rationis: hæc autem non debet esse necessario actu ex parte obiecti, sed solum fundamentaliter ut re ipsa est in Deo: nam quemadmodum in ipso est fundamentaliter distinctio rationis attributorum, quia est vnica perfectio inadæquatè concepta pluribus intellectiōibus non Synonymis, ita quoque est unio rationis, quoniam sicut propter illimitationem perfectionis respondet distinctis conceptibus, ita propter identitatem respondet mentali connexioni ipsorum per modum unius. Secundo suadetur, quoniam fieri nequit, ut sit vnum, & plura absque compositione: in Deo est vna ratio respondens adæquatè toti perfectioni, atque intelligibilitati diuinæ essentiae, sunt etiam plures pro diuersitate conceptuum inadæquatorum, & hæc sunt de intrinseca, & formali ratione illius adæquata: ergo illa necessario intelligi debet composita secundum rationem. Maior propositio est certa: nam plura, quatenus plura, non possunt conuenire in vnum absque interuentu unionis: hac enim desiderata potius habent rationem multitudinis, quam unius: ea vero posita necessario subsequitur compositio, quæ est constitutio unius ex pluribus inuicem unitis.

Huic argumento Capreol. ubi supra dupliciter respondet: in primis ait diuinam personam esse conceptibilem vnica perfecta ratione, quam Deus habet, verum nullum conceptum viatoris posse repræsentare omnia, quæ sunt in persona diuina: & ita personam diuinam esse vnum conceptibile, & vnum formale obiectum intellectus in se, non tamen respectu intellectus viatoris, respectu cuius est multiplex non intrinsecè in se, sed extrinsecè, quatenus vnica illa perfectio non vna, sed pluribus conceptionibus capi potest. Respondet secundo, ut obiectum sit vnum ratione, non

V.

opus esse, ut rationes omnes per intellectum de eo formatae, & fundatae in re intellecta habeant unionem ad invicem, sed sat esse, ut sit eiusmodi vnitas in obiecto, ut idem omnino cuilibet rationi respondeat, licet imperfecte per singulas representetur, & aliter per vnā, quam per aliam. Verum hae solutiones non satisfaciunt: Non prior, quoniam etsi nulla creatura adequata, ac distincte queat concipere vnicam illam rationem personae diuinā, sicut in se est, potest tamen inadéquate concipere plures rationes, ut intrinsece pertinentes ad vnicam illam rationem ad instar partium essentialium: in qua conceptione intellectus concipit vnicam eam rationem intrinsece constitutam ex pluribus, quod fieri nequit absque vlla vnione: nam sicut nequit esse vnū ex pluribus actu distinctis absque vnione actuali, ita concipi nequit vnū ex pluribus virtute distinctis absque vnione, scilicet rationis: contra secundam vero obijcitur, vnitatem obiectiuam esse realem, & actualement, quae non distrahitur re ipsa per distinctionem virtualement, & pluralitatem rationum formalium: verum ad vnitatem rationis non sat est vnitas realis si res, cui ipsa conuenit, sit obiectum plurium rationum formalium nullo nexu copulatarum, ut videre est in vnitatem reali motus, de sententia eorum, qui dicunt ipsum esse idem re cum actione & passione, etenim tres hae rationes, motus, actio, passio, sunt per se disparatae, neque conueniunt in vnā, quoniam sunt primo diuersae, nec vllō nexu secundum rationē copulantur. Quapropter, si plures rationes perfectionum diuinarum in vna entitate diuinā essentiae fundatae non copulentur modo aliquo vnionis secundum rationem, non erit vnica ratio formalis ipsius secundum esse conceptum, quantumcunque omnibus respondeat eadem prorsus res secundum se habens vnā rationem formalem obiectiuam.

VI.

Ex dictis constat congruentius loqui Aureolum, quam Capreolum: etenim posita multiplicitate rationum alicuius obiecti necessario sequitur compositio secundum rationem, quae non est aliud, quam plurium rationum sola virtute, siue conceptibiliter distinctarum coadunatio secundum esse intellectum in vnā rationem formalem adequatam habens fundamentum in identitate obiecti. Quae tota ratio distinctionis, multiplicatis, & compositionis, cum solum sit actu in intellectu, non autem in obiecto, non dicit imperfectionem, ut iam notauimus, & argumentum Aureoli sumptum à similitudine plurium

rationum distinctarum eiusdem obiecti ad res actu distinctas, & coniunctas in eodem est valde firmum: & indicatum est ab Auerr. ^{auerr.} lib. 12. Metaphysic. com. 39. nam, cum dixisset non dari in Deo additionem, distinctionem, aut compositionem secundum rem, subdit haec verba: *sed cum intellectus componit aliquam propositionem, ex dispositione, ac disposito in talibus rebus, id est, simplicibus, de quibus loquitur, tunc non intelligit ex eis nomina synonyma, ita quod dispositio sit secundum nomen, non secundum intentionem, sed intelligit ea esse differentia secundum assimilationem, scilicet quod in talibus accipit duo, quorum proportio ad invicem alterius ad alterum est sicut proportio praedicati ad subiectum, & ex eis componit propositionem categoricam, & nullam intelligit differentiam, inter ea esse omnino, nisi secundum acceptionem.* Ex quibus constat ipsum agnoscere compositionem mentalem in terminis diuinis fundatam in distinctione rationis, & identitate omnimoda obiecti. Et ne Capreolus dicat loqui solum de multiplicitate, non vero de compositione, perpendenda sunt verba sequentia in eodem contextu: *Intellectus enim, inquit, potest intelligere idem bis duobus modis: secundum similitudinem, ad propositionem categoricam in rebus compositis, sicut intelligit multa secundum similitudinem.* Quorum verborum sensus hic est, sicut intellectus per similitudinem ad rem actu distinctas, intelligit multa scilicet secundum rationem in re simplicissima, ita quoque per similitudinem ad modum intelligendi res compositas per modum vnus, obiectum re ipsa simplex, ratione tamen distinctum, intelligit ut idem per compositionem, hoc argumentum Capreolus ubi supra soluere conatur respondens nequaquam opus esse, ut sit idem ordo, & habitudo inter aliqua distincta sola ratione, qualis esset inter ea, si realiter distinguerentur: quod ait esse verum quoad omnia, praeterquam quoad habitudines, quae sequuntur rationes ipsas: compositio autem non consequitur essentialitatem, aut relationem, aut quamvis aliam perfectionem quoad ipsarum rationes, sed quantum ad ipsum esse: esse vero diuinum est simplex, & incompositum. Quae solutio non est adequata: nam, quamvis non omnis habitudo; quae est inter duo re ipsa distincta, interueniat necessario inter eadem, si sola ratione distinguantur, datur enim habitudo causae, & effectus inter sapientiam, & intellectum creatum, & inter proprietates, ac subiectum, quae tamen nullo modo interuenit inter intellectum, sapientiamque diuinam, inter essentialitatem, &

attributa,

attributa, tamen habitudo, quæ consequitur modum ipsum distinctionis, nõ est cur negetur: at compositio sequitur distinctionem plurium adunatorum in vnum: quare si hæc ratio interuenit in ijs, quæ ratione distinguuntur, vt iam ostensum est, cur etiam non erit admittenda compositio eiusdem generis, cuius est multiplicitas? & ita quamuis compositio propria, ac realis non consequatur solas rationes formales, sed esse ipsarum distinctum: quandoquidẽ compositio per se tendit ad aliquod esse compositum: compositio tamen rationis sequitur ad rationes distinctas, quandoquidem non connectit plura secundum esse reale, sed secundum rationem, siue secundum esse intellectum. Addiderim licet plures rationes virtute distinctæ in Deo non vendicent aliud, atque aliud esse reale, nihilominus, sicut ipsæ ratione distinguuntur ita posse concipi sub esse virtute distincto: ita vt esse sapientiæ diuinæ, quatenus præcisè concipitur, vt actualitas sapientiæ distinguatur virtute ab esse iustitiæ, & sic in cæteris. Et quemadmodum in rebus creatis sit actualis compositio ex concursu plurium partium secundum aliud, atque aliud esse partiale, ita in diuinis erit compositio rationis propter distinctionẽ virtuale ipsius esse diuini pro multiplicitate rationũ formalium. Ex quo etiam sumitur responsio ad secundũ fundamētum Capreoli, dicendum vero est compositionẽ actualem fieri secundum esse actuale, compositionẽ vero rationis secundũ plures rationes virtuales eiusdẽ esse: & idẽ, quamuis in diuinis non sit multiplex esse actuale, esse tamen plures rationes eiusdẽ esse, siue multiplex esse secundum rationem, quod est satis ad compositionem rationis. Primi vero dissolutio constat ex capite superiore, vbi dictum est ad compositionem rationis minimẽ necessariam esse rationẽ potentialitatis obiectiua, sed sat esse præcisionem vnus rationis ab alia secundum esse intellectum.

VII. Vt autem respondeatur ad auctoritatem Anselmi, oportet intelligere prius eius institutum eo loco: agebat autẽ contra quandam asserentẽ tres personas esse tres res, aduersus quẽ arguebat esse quidẽ tres relatiuẽ, non autem secundum substantiam; ex hoc enim sequeretur esse tres Deos: deinde fingit responderi sibi ab eo, nõ esse tres Deos, quoniam tres illæ res simul sunt vnus Deus: contra quã responsionem arguit ex ea sequi Deum nõ dici singulariter de singulis personis, sed solum de omnibus tribus simul sumptis & consequenter esse compositum: atque ad eõ re, vel intellectu posse dissolui:

& cum omne simplex sit præstantius composito, aliquid, quod non sit Deus, hoc est vnũ ex componentibus, erit supra Deum. Ex quo discursu manifestè cõstat D. Anselmum loqui de dissolutione per intellectũ fundata in distinctione ex natura rei: nã rerum actu distinctarum, & componentium vnã tertiã dissolutionẽ vel fieri potest re ipsa per separationẽ vnus ab altera, vel per intellectũ cõcipientem eas actu distinctas, vt re vera sunt, vt enim 12. Metaph. comm. 39. docet Auerr. intellectus natus est diuidere adunata in ea, ex quibũ componuntur, quamuis non diuidantur in esse: sicut diuidit materiam à forma, & formã à composito ex materia & forma, quod fufius ibidem explicat, & ad eum modũ intelligendus est Anselmus. Et quoniam Pater, Filius, & Spiritus sanctus, ita suapte natura sunt vnũ, vt re ipsa separari nequeant, idẽ addidit Anselmus, si sunt partes vnus Dei, & possunt per intellectum separari, aliquid esse simplicius, atque adeo perfectius Deo: cum itaque negat simplicia posse intellectu dissolui, loquitur de dissolutione ad aquata distinctione obiectorum, non vero de distinctione rationis, quẽ cõsequitur ad diuersas eiusdẽ perfectionis apprehensiones: nam, qui vnã rationem formalem præcisè apprehendit, ex vi talis conceptionis eam non dissoluit à cæteris: conceptio quippe præcisua de se non diuidit obiecta, nec diuisa supponit: & idẽ rectè ait Auerroes vbi proximè cum cõsiderata fuerit dispositio, ac dispositũ in eis, quẽ non sunt in materia, tunc deduci ad vnã intentionẽ omnibus modis, & nullus modus erit, quo prædicatum distinguatur à subiecto, & dispositio extra intellectum, scilicet in essentia rei: itaque solam diuisionem, ac distinctionem excludit extra intellectum in ipsa rei essentia: quæ si nõ ad sit, licet ad sit distinctio per solum intellectum, erit vnã intentio.

VIII. Ad argumentum sumptum ex auctoritate Philoſophorũ dicendũ ex locis Auerr. & Auicen. solum colligi nõ dari veram, ac propriam multiplicitem, & compositionem. Quod vero in primis attinet ad primũ locum Auerr. dico in ea re non esse curandam auctoritatẽ eius, qui eodem commento carpit nostram fidẽ impugnans trinitatem, & ad hoc ferè institutum adducit verba ab Aureolo citata. Respondeo deinde ex toto discursu illius cõmenti cõstare ipsum loqui de additione intentionis iuxta modum, quo in nobis adduntur subiecta intentiones, siue prædicata re ipsa distincta: & hanc additionẽ negare non vero eam, quæ sit per solum intellectum, cum ibidem per-

spicue concedat multiplicatam, ac differentiam in diuinis non quidem in esse, sed secundum intellectum. Deinde vero responderi potest primo principio, siue Deo, quatenus intelligitur subsistens secundum suam rationem formalem adequatam, nihil omnino additum intelligi posse: id enim iam esset extra naturam diuinam, atque adeo cum ea compositionem faceret: cum vero esset extraneum, & accedens, non semper Deo competere, ideoque ex Deo, & eiusmodi in rectione addita fieret aliquid nouum, quod repugnat: at in compositione rationis, de qua loquimur, componenda sola ratione distincta non sunt aliquid extra Deum, sed sunt ipsemet Deus conceptus sub ratione aliqua formali inadæquata. Secundus ite locus est similiter intelligendus de multiplicitate reali, ne dicamus Commentatorem sibi contradicere: nam lib. 12. Metaph. com. 39. concedit multiplicatam in Deo solam secundum differentiam in intellectu, & non in esse, verba autem illa: *Nec propter alietatem intellectus, & intellecti, nec propter multitudinem intellectuum, non faciunt sensum, quem arguens intendit: non enim hæc ait Auerroes ad excludendam distinctionem rationis ortam ex multiplicitate conceptuum, sed ad excludendam distinctionem actualem, quæ in intellectu creato cernitur inter ipsum, & obiectum intellectum secundum esse intentionale, quod habet, ut patet ex verbis, quæ statim subdit: Multitudo enim intellectuum in eodem intellectu, sicut est in intellectu in nobis, consequitur alietatem, quæ inuenitur in eo, scilicet alietatem intellectus, & intellecti in nobis, quia scilicet in nobis non est idem intelligens, & intellectum, ut in Deo, in nobis enim distinguitur intellectus, species obiecti, & intellectio: item si multa intelligamus, plures species & intellectiones habemus: at in Deo, cum idem sit intellectus, intellectio, & id, quo intelligit, ob diuersitatem obiectorum, non sequitur multiplicitas actualis, unde patet testimonium hoc non facere ad institutum Aureoli. At vero ex testimonio Auicennæ. solum colligitur proprietates diuinas non facere multitudinem actualem: nam, si non facerent aliquam multiplicatam rationis, ineptè dicerentur in plurali numero proprietates: & idcirco Auicennæ. proprietates appellans distinctionem rationis indicat, & negans facere multitudinem, consequenter negat eam distinctionem esse realem.*

IX.

Ad primum argumentum respondeo simplicitatem omnino irresolubilem in plures rationes formales sola virtute distinctas non esse perfectissimam, imò valde imperfectam: nam, quemadmodum perfectio unitatis di-

uinæ non consistit solum in eo, quod sit indiuisa, sed quod cum perfectione æquipollente omnibus perfectionibus creatis actu distinctis, sit summa indiuisio, ita etiam perfectio simplicitatis non consistit in sola negatione compositionis actualis, sed in negatione compositionis cum summa perfectione diuinæ superante perfectionem omnium compositorum: & ita, quamuis quoad negationem actualis compositionis non sit excessus Deitatis supra rationes aliquas creatas, siquidem ut ait D. Thomas in 1. d. 8. q. 5. art. 1. non quidquid deficit à simplicitate, incidit in compositionem, intellige passiuam, & intrinsecam, est tamen in eo, quod cum infinita perfectione retinet omnimodam simplicitatem, nec est in potentia ad alterum, ut sunt rationes illæ simplices, de quibus in argumento fit mentio: ita enim sunt simplices quoad entitatem, ut retineant compositionem potentialitatis, & consequenter aptitudinem, ut componantur cum alijs, ut docet idem D. Thomas, & alij. Ad secundum respondet, quemadmodum id, quod est actu prius, componi actu nequit à posteriore, ita id, quod est ratione prius, non pati compositionem rationis cum posteriore: & hoc modo essentiam diuinam, quatenus concipitur precise sub ratione substantiæ, non pati compositionem rationis ex attributis. Verum, quemadmodum apud nos homo re ipsa componitur cum sapientia, ex qua compositione resultat homo sapiens, ita Deus conceptus secundum præcisam rationem substantiæ, componi intelligibiliter potest cum sua sapientia, & ita ex duabus rationibus inadæquatis resultabit una nempe Deus sapiens, qua nostro intelligendi modo est prior Deitas, quam sapientia. Verum si ipsammet essentiam concipiamus, ut est forma adæquata Dei, non repugnat, ut mens nostra concipiat omnes perfectiones positivas, & absolutas, quasi rationes essentielles intrinsecas ipsius, & ipsam quasi ex ijs compositam: secundum quā considerationem singulæ per se consideratæ non re, sed virtute, & secundum rationem dici possunt priores, ad modum ferè similem quo inter nos partes definitionis dicuntur priores definito: Et hoc modo perfectiones diuinæ non concipiuntur ut attributa, sed ut rationes essentielles intrinsecæ Deo, ad modum explicatum tractat. cap. ult. contra quod non militat probatio assumptionis: nam secundum hanc considerationem perfectiones diuinæ non concipiuntur per modum attributi, ut in argumento assumitur. Ad tertium patet solutio ex dictis non enim ad compositionem rationis est necessaria potentialitas, nec multiplicitas secundum intellectum

S. Thom.

lectum dissolvit omnimodā identitatem actualem eius, quod est, & quo est, ut superius dixi. Ad quartū respondeo dupliciter aliquid dici imperfectū secundum rationem, primum quidem ita, ut ratio obiectiva sit in se imperfecta, quia ratione in homine ratio animalis obiectivē est imperfecta, deinde vero ita ut sola imperfectio sit ex parte intellectus inadæquate, & imperfectē concipientis rem summe perfectā: prima potest dici imperfectio obiectiva, quæ repugnat Deo, nec est necessario cōiuncta cum compositione rationis, altera imperfectio secundum esse intellectum, quæ interuenit in compositione rationis: & hæc nō repugnat Deo, siquidem est formaliter in ipsis rationibus mentalibus, nec denominat Deum secundum esse actuale, sed secundū est intellectum: non enim quia mens creata inadæquatis rationib⁹ apprehendit essentiam divinam, ea dicitur in se imperfecta, sed solum imperfecte apprehensa: hoc vero nullo modo redundat in aliquem defectum eius, sed intellectus non percipientis ipsam conceptu perfectō, & adæquato.

Deus est summe simplex.

CAPVT XV.

I. **E**xplicata utraque ratione simplicitatis divinæ, quatenus negat componibilitatem actiuam & passiuam, restat, ut comparetur cum simplicitate rerū creaturarum. In primis autem videbitur esse creaturam magis simplicem Deo, quoniam in Deo est trinitas personarum realiter distinctarum, in Angelo vero non est vlla distinctio realis quoad substantialia; ubi vero est maior distinctio, ibi maior compositio. Præterea id videtur magis accedere ad simplicitatem, quod minus habet distinctionis: at creaturæ aliquæ minus distinguuntur, quā perfectiones attributales: ergo sunt magis simplices. Assumptio patet, quoniam distinctio solius rationis ratiocinantis est minor distinctione rationis ratiocinatæ, siue virtuali: attributa diuina admittunt hanc posteriorem, nonnullæ vero creaturæ solam priorem, ut patet in actuali existentia. Deinde suadetur esse æquē simplicem, quia sunt creaturæ carentes omni compositione intrinseca, siue passiuā, & quoad hoc sunt æquē simplices, ac Deus: nam ubi negatio nō permiscetur formæ oppositæ, nō est penes illā magis, ac minus: si vero sunt capaces alicuius compositionis actiuæ, hæc etiam secundum aliquos modos nō repugnat Deo, ut visum est supra, ergo non est, cur is dicatur simplicior eiusmodi creaturis.

Culiy comment. Theol.

Quoniam indignum est Deum quoad rationem aliquam perfectionis simpliciter sedere, aut saltem æqualem esse creaturæ, plerique ad huius dubij solutionem vim faciunt utrū simplicitas sit perfectio simpliciter. Affirmat Scotus in 1. d. 8. q. 1. ad 1. ar. Scot. gumentum cum Lycheto ibidem, & in re- Lychet. portat. q. 2. ad 1. Durand. 2. p. distinctionis Durand. q. 1. ad 1. Andreas de Nouo Castro q. 2. ad 1. Nouo Castro. contra secundam Conclusionem. Maior q. Maior. 3. in fine, quia, ut ait D. August. Bernard. & Augustin. Anselm. citandi num. 7. simplex perfectius Anselm. est composito: omnis vero perfectio, quæ in quolibet melior est ipsa, quam non ipsa, est perfectio simpliciter. Contra vero negant Holkoth in 1. q. 6. ad 1. dubium Al- Holkoth. liacens. q. 5. art. 1. lit. G. in fine, & Anton. Aliacensis. Andr. q. 1. ad 1. quoniam plurimæ res com- Anton. Andr. positæ sunt perfectiores simplicibus, ut mixta elementis, compositum physicum suis partibus, & in vniuersum semper totum est perfectius partibus: ideoque teste Arist. 3. Aristot. Phys. t. 66. hæc respectu illius habent rationem materiæ, totū vero respectu ipsarum formæ, iidem tamen Doctores concedunt simplicitatem, prout opponitur componibilitati esse perfectionem simpliciter. Verū nisi vis fiat in ratione negationis, quā nonnulli, quos retuli cap. 1. num. 10. negant esse perfectionem simpliciter, & cōsequenter dicunt simplicitatem, utpote attributū negatiuum, talem non esse, nisi inquam vis fiat in negatione, & solum consideretur id, quod melius est cuius enti, quatenus ens est, absque dubio dicendum simplicitatem habere rationem perfectionis simpliciter: quoniam, ut ait Anselmus, simplex, quatenus simplex melius, ac perfectius est, quam compositum. Parum vero refert utrū aliquod compositum secundum entitatem sit perfectius ex ratione alterius perfectionis simpliciter, nempe ratione complementi: nā ratio completi est etiam perfectio simpliciter; quia verò totū est ratio completi, & parti ratio incompleti, idcirco totum, quatenus magis actuale, est perfectius parte: quod recte notarunt Doctores superius citati: id vero non obstat, namque ut ait Anselm. in Monologio cap. 15. melius est Anselm. esse sapientem, quam non sapientem, licet enim iustus non sapiens, sit melior quam sapiens non iustus, tamen non sapiens foret melior si esset sapiens, itaque si abstrahantur aliæ rationes, quæ accidunt simplici, & composito, & relinquatur sola ratio simplicitatis, & compositionis, semper illud est nobilior hac: partes vero sunt imperfectiores toto propter alia, non præcisè ratione simplicitatis, & compositionis; sed iam ad

II.

LII 2

ipsam